



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae Historiae Decas Prima

Martini, Martino

Monachii, 1658

Sextus Imperator Cungus. Imperavit annis XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11848

pulo, & avio, denique non visus magis quam victoribus. Quam enim indignum, gloriam e suorum pernicie quarere? quam non humanum, hominem hominibus afferre mortem? Ex quo intelligas, quam longè Christianorum consilia debeant abesse à bello non necessario; cum sanguis humanus execrandus belli color, tantæ sit reverentiæ Christum ignorantibus. Verùm hæc facilius averferis, quam persuadeas. Nec enim illa CICUNGI est ab Imperatore pronis auribus accepta oratio. Quare in TARTARORUM fines exercitum ducit omnibus instructum auxilijs, præceptaque victoriæ spe jam propè triumphantem. Sed TARTARI explorato hostium adventu, sive viribus sive animis impares salutem fugâ quæsiere; omnibus, quæ poterant, secum asportatis, abactis armentis tentorijs alibi positis, more gentis. Ita ne viso quidem hoste Imperator referre pedem coactus, multis suorum desideratis quæ erant itinerum rerumque aliarum incommoda, cum ignominia & dedecore, omniumque odio domum redijt. Ibi bello in venationem translato, postquam homines non licuit, cum omni reliquo exercitu feras agitavit. Et hinc quidem ingentem prædam egit, at stipendio nequaquam parem. Hanc tamen infamiæ notam, quæcunque fuit, obliteravit eximia de cetero virtute insignis Imperator, æqui & justitiæ pertinax inprimis. Vix dici potest, quanta eum subierit pœnitentia spreti consilij, quod dederat CICUNGUS. Ab hoc temeritatis veniam petijt; in hujus potestate, siquid esset imposterum author, nunquam non futurum se promisit. In alijs ejus dictis hæc celebrantur. *Si aulici probi sunt, ajebat, & rex probus erit: sin assentatores; rex quidem bonum se credet, at non erit.* Boni Principis famam ut plurimum ab aulicorum virtute pendere prædicabat: hinc ab ijs cavendum maximè, qui auribus solum & oculis serviunt.

Malo successu.

Bellum in venationem translatum.

SEXTUS IMPERATOR CUNGUS.

Imperavit annis XII.

MOO vitâ defuncto CUNGUS ejus filius regiminis initia exitia. *Cyclo 30. anno 12. ante Christum 946. Libido excidij causa.*
bili scelere funestavit; MIE regione funditus deletâ, cujus Præfectus tres eximie pulchritudinis puellas fugitivas ejus oculis subdu.

N 2

subduxerat. Ea res causa malorum omnium fuit. Producebantur, cum eò per KING lacum animi gratiã veniret, in illius conspectum, puellæ plures. In quibus cum tres illæ non ampliùs apparerent, libidine in iram versã, in fontem populum, velut secreti consciùm indignissimè delevit. Ad frugem tamen dein reversus, nomen inter optimos Imperatores meruit, raro in regibus exemplo, qui rarò fiunt imperando meliores.

SEPTIMUS IMPERATOR

I S.

Imperavit annis xxv.

*Cylo 30. anno
24. ante Christi-
sum 934.*

Pœsiti Sinica.

Sino fabulis.

*Mores virtu-
dinosæ.*

ID in ejus filio, quem habuit successorem, patuit; qui non modò nihil memoriã dignum, sed eã multa indigna gessit. Unde poëtarum in se concitavit audaciam, docentium rectiora simul atque monentium. Multa existunt etiamnum ex eorum carminibus, Nam & ars poëtica est apud Sinas antiquissima, & varia vario metro carmina completitur. Ea omnia legitimo literum numero constant, & quinque vocum ordine. Inter quinque carminum libros, è quibus doctrinam eorum, qui dignitates ambiunt in republ. periclitantur, unus in explicandis antiquorum Principum rectè secusque factis ita versatur, ut malis terrorem addat, bonis calcar ad virtutem. De floribus etiam, de plantis, atque id genus rebus alijs vulgati versus, eã tamen religione, ne quã fabularum tormentis, ut nostrorum poëtarum fert genus, in illa scriptura sit locus. Sunt enim in eo toti, ut è congruentia rerum naturalium, morum venustatem doceant. Insunt ijs quædam de amando, sed castitatem magis, quàm nostrorum poëtarum mollietiem spirantia, magnã decori ubique curã.

OCTA-